

el Lazio,,

ell. 500.000
erenda
usque provinciis conterminis
aplicandis

concreditae fenus rependit
s vel per litteras instituit.
essoris nomine, sive cuique
va summa agatur.
non fructiferas syngraphas;

emit venditque.
, aliorumque nomine obliga-
s, solvit.
committentibus gerit; locaria

testari, 21
RUM, PRAENESTE, SUBLACI


JOSEPHI FORNARI

ESIAE FABULAE
accomodatae apud eph-
facile agendis.

TRIDIANUS
SIVE
INCONDITO ADULESCENTE
ET
INCISCULI PRANDIUM

Almae Romae commentarium
ROMAE
a del Governo Vecchio, n. 96
veneunt singillatim libell. 1.00.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exteris civitates:

Alba (cum off. in opp. Canale), Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO (in Aegypto), Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, COSTANTINOPOLI (in Turcarum Imperio), Derna (in Cyrenaica), Fabriano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Frascati, Frosinone, GENOVA, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovì (cum off. in opp. Carrù), Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Oriente, PARIGI (in Gallia), Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit:

- a) iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3 %, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000. — Pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est;
- b) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4 %, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim;
- c) parsimoniae fovendae sub specie, annuo fructu 3.60 %, cum facultate quotidie deferringi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA:

- a) perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur;
- b) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit;
- c) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae;
- d) litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur;
- e) exteros nummos negotiatur eorumque collybum exercet.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Res in custodiam Mensae traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA fiduciarias res accipit: pecuniae nomina, capsas, cistas latae etiam mensurae, modicam sibi retributionem repetens ex declarato pretio. Recipit pariter pecuniam ad publicorum operum administrationem, nomina tum industriae tum commercii, libellos ad parsimoniam, etc. Deposita huiusmodi fasciculo non clauso exhibentur; acceptorum testimonium concredenti traditur, in quo singillatim res describuntur. Ad ipsius concredentis libitum, pretium syngrapharum exigitur, nomina sorte ducta explorantur, etc.

Res capsarum in custodiam traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA peculiare ufficium constituit ad res pretiosas, pecuniam, nomina aliaque huiusmodi servanda in capsis conducticiis ex chalybe, quae, in magno conclavi collocatae, omnino pariter ex chalybe exstructo, securitatem maximam tum contra incendia, tum contra violationem quamlibet offerunt. Huiusmodi capsae habentur parvae, mediae, maximae; habentur quoque et armaria; locationisque pretium est prout sequitur:

	Ad mens. 12	Ad mens. 6	Ad mens. 3	Ad mens. 1
Pro capsis parvis:	lib. 15	lib. 10	lib. 6	lib. 4
» mediis:	» 25	» 15	» 10	» 8
» magnis:	» 30	» 20	» 15	» 10
Pro armariis:	» 40	» 30	» 20	» 15

praeter custodiae ius pro singulis lib. 1000 (ad minimum lib. 1000), constitutum lib. 0.35 ad annum. — Depositor libere sua capsa frui potest ab hora decima ad decimam septimam cuiusque diei, festis exceptis.

ae in propriis aedibus
S. Marcello)

externas civitates:

DORIA (in Aegypto), Arezzo, Avezzano, Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO TANTINOPOLI (in Turcarum Imperio), Fossano (cum off. in opp. Centrale), MILANO, Mondovi (cum off. in opp. Pivereto), PARIGI (in Gallia), Pinerolo, TORINO, Torre Annunziata, TRI-

ONES ET NEGOTIA.

omine accipit:
 unus rependens ad 3 %, data facultate duorum dierum, lib. 25.000; dierum moderatore conveniendum est;
 strictis, lucro annuo 4 %, si vincu-

60 %, cum facultate quotidie defec-
 b. 300. De maiore vero summa man-
 septem usque ad lib. 5000; ad dies

a fide pollutum subscriptione muni-
 bi argentaria res publice agatur;
 in legem d. 27 Ianuarii 1877 latam,
 nit;
 iniam reportat sub praesidio fundo-
 tum industriae privatae;
 cia tum Italiae tum exterarum gen-
 exercet.
 Nummariae sunt.

traditae.

: pecuniae nomina, capsas, cistas latae declarato pretio. Recipit pariter pecu-
 num industriae tum commercii, libellos aiso exhibentur; acceptorum testimo-
 nuntur. Ad ipsius concrentis libitum, orantur, etc.

in traditae.

constituit ad res pretiosas, pecuniam, ex chalybe, quae, in magno conclavi in maximum tum contra incendia, tum e habentur parvae, mediae, maxime; routi sequitur:

Ad mens. 3	Ad mens. 1
lib. 6	lib. 4
» 10	» 8
» 15	» 10
» 20	» 15

um lib. 1000), constitutum lib. 0.35 ad decimam septimam cuius-

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4½; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐

De Benedicti XV P. M. sollicitudine in hodierno rerum discrimine

In hac maxima rerum et animorum perturbatione, iuvat identidem in mentem revocare, quot bona Beatissimus omnium Pater Benedictus XV, in populorum solatium, etsi opibus omnibus expoliatus, effundat; et quomodo, inter horridos hominum armorumque strepitum, pacem mortalibus suadendo, in omnem late orbem terrarum sit luculentus dominatus. Ipse enim, perpetuus pacis auctor, verbis atque scriptis incredibili quadam suavitate exaratis, concordiam inter gentes imprimis fovit, atque atrocias deprecatus bella, etiam atque etiam studium pacis imperatoribus ac regibus nationumque rectoribus omni opera suasit, ut consilio atque auctoritate populos a civili sanguine prohiberent.

Ex ipsis autem rerum difficultatibus animum tollens, plurimos illos milites, qui longe a patria captivi ab hostibus duriter tenentur, eximia caritatis significatione est consolatus, benefactisque cumulavit. Per solemnes etiam divinae

Nativitatis recentes dies, quum multi magnam auri vim perperam profunderent in res ludicas et voluptuarias, Ille, singulari bonitatis et amoris testimonio, ultro missitatis muneribus, eorum aegritudinem matrumque dolorem, admirantibus populis, industri animo sublevavit. Et Gallos atque Italos, eosdemque Germanos, iam vulneribus multilatos, paterna propemodum manu supernoque artificio, in patriam, in eorum occursum undique defluentem atque laetantem, alacer feliciterque reduxit.

Positis mox armis, quis mente umquam concipere potest, quod fatum omnibus supersit? Utinam tunc animi omnium in Pontificis obsequium coalescant atque ad suam universi sententiam confidenter adfugiant! Hoc equidem ambiendum sollicitis precibus, hoc sibi populis auspicandum! Ille enim solus, qui merito Parens populorum nominatur, divino veluti numine freatus, iura potest sancta gentibus dare. Namque Ille unus, cui nulla est humana rerum cupidio, quiq[ue] integrum recti sanctique sapientiam obtinet, ex puris veritatis fontibus disurrentem, libero ore proferre potest, quae ad pa-

cem obtinendam conservandamque pertinent.

Quod quidem olim clarissime affulsit et ipsi Francisco Guizot, qui paulo ante acerrimum ingenium, mirum in modum, apud Gallos, in historiis conscribendis et uti civitatis minister est periclitatus, et etiamsi Calviniana superstitio nis fautor, dicere haud dubitavit: « Qui omnium populorum infortunium animo concipit, qui eorum pater dici potest, hic modo orbi terrarum in re angusta versanti salutem conferet. Quo nomine, solus Romanus Pontifex, - qui cunctorum errores optime novit, et gentium superbiam pravumque ingenium refrenat, atque immodicam eorum imperii cupidinem auctoritate damnat omniumque legum humanarum divinarumque ludibrium, - proclamat, quae late populos grassantur mala, ea ab ulti volentibus averti posse ».

Re enim vera dum in praesentiarum populorum rectores immani exterminio atque moerori heu! suis fiunt, ipse Pontifex hisce potuit abstinere; quin imo volens, propitius, patronus adfuit; et quotquot sunt miseri, maiestati suae devoti hi fuerint vel osores, praesentem eius opem senserunt. Horribili enim sanguinis effusione commotus, eximia animi sollicitudine Ipse curat ut dolores subleventur, ut innoxii sit venia atque indefensis, ut tot matrum lacrimae tergantur; nullaque habita personarum ratione, libero ore omnibus loquitur.

Et vir etiam ille, quem graphicè dixeris ab Horatio depictum, quia

*Impiger, iracundus, inexorabilis, acer
Iura negat sibi nata, nihil non arroget armis,*

Ipsius monita vocesque severas patienter tulit.

Nam Benedictus XV, Christi animum referens, haud se extraneum gessit, sed populos omnes, quotquot miserrime fuerint bello dilaniati, studio atque caritate est complexus, eo unice spectans, ut perpetuitati pacis, et bonarum artium incremento prospiciat, atque ad concordiam in iustitia fovendam animos revocet. Et si Leo I P. M. Attalam, Hunnorum dominum, ad mansuetiores spiritus eloquentia olim deflexit, aliquie Pontifices, labentibus annis, et rudes Longobardos Romanorum humanitate honestarunt, Benedictus XV omnia uno eodemque tempore videatur nunc esse assequutus. Qui populi, transactis annis, Europam incolebant, futurae humanitatis cultusque praecursores, sub Pontificum consilio, sub religiosorum opera, aliorumque Christianorum hominum doctrina, optimis moribus in dies mirum in modum exculti, veluti homines ab stirpe similes iisdemque legibus, religione, ferino cultu deposito, in unam gentem coalescere coeperunt. At, proh dolor! in orientalibus populis Mahometana supersticio, et in occidentalibus Lutheranorum improbitas animorum concordiam falsis nominibus turpiter turbarunt. Et nostra aetate tot rerum perturbatio, ut fama perhibetur, nonne eo tandem evadere debebat, ut Catholicae gentium sapientiam everteret? Aderat enim quartus centenarius annus, ex quo Lutherus, audax ille malorum artifex, insanis omnino conatibus perversisque doctrinis, universam Germaniam a catholica fide excepserat; hac equidem sententia aiebant, immane bellum illuc esse evasurum, ut omnes undique gentes Lutheranismi forent

insigne tropaeum. Deus tamen enixis precibus Vicarii sui exoratus, hanc populorum cladem longe avertat; ita ut Romanae dignitatis et incolumentatis adsertorem uno omnes ore profiteri Supremum Pontificem debeamus, ac simul divinam religionis compagem, quaee xx saeculorum consilio et virtute coaliuit, convelli, sine exitio convegentium, non posse.

Atque tamen omnis recentis historiae tradenda ratio eo iamdiu convertit, ut suspectam faciant Ecclesiam, invisosque Pontifices!... Ecquid vero? Patris caritas non adversis populorum studiis retardatur, non ipsa filiorum negligentia atque incuria deterretur, et suos monitos vult adsidue unum sibi maxime munus esse pugnantes ad pacis foedus ineundum exhortari. Et quum Patribus Cardinalibus loquitur, atque arrepta occasione quum frequentissimos cives advenasque salutat in aedibus Vaticanis, et demum compluribus epistolis vel ad principes datis, hanc unam rem commendat omnibusque insinuat. Quae quidem divinissima verba, superna luce suffusa et sapientia conspersa, mirabiliter ad universum terrarum orbem perlata, ad pacem denique obtinendam populos conducent, nisi superbia obstaret et crudelis animorum molestia!

Sed votis precibusque iubent exposcere pacem

populi hac belli scelerata insania abrepiti, qui Tibi, Beatissime Pater, pro mulieribus iterum atque iterum largiter acceptis gratias quam maximas agunt, summaque animorum fiducia, et maiora implorant. Faxit Deus ut mox omnes potentes verae virtutis laude concre-

scant, et positis tandem acerrimis curis atque inimicitias, resipiscentes sese ad concordiam colligant; faxit vindicta scelerum Deus, ut, tua potissimum intercessione ad clementiam conversus, rem omnium populorum, amotis periculis, optatae tranquillitati restituat!

I. B. FRANCESIA.

DE IURIS CANONICI ORIGINE ET PROGRESSU

Proxime salutaturi eventum, qui Christianae interest Reipublicae, rem scilicet « tam magnam tamque Ecclesiae opportunam, ut eius gratia haec aetas apud posteros nobilis futura videatur; Codicem dicimus Iuris Canonici feliciter absolutum »,¹ operae pretium duimus de ipsius Iuris Canonici origine et progressu, in hoc Commentario seu latitatis Praeconio compendiosam historiam enarrare.²

Novimus plane *Corpus Iuris Canonici*, quo hactenus usi sumus, sex constare partibus, quae sunt: 1) Decretum Gratiani; 2) Gregorii IX Decretales in quinque libros distributae; 3) Liber VI Decretalium Bonifacii VIII; 4) Clement-

¹ BENEDICTI XV, Allocut. habita in Consist. d. IV mens. Dec. MCMXVI. - Cfr. *Alma Roma*, an. IV, fasc. I, pag. 18.

² Cfr. GONZALEZ, *Comment. in Decretales*, tom. I, *Apparatus*, etc., pag. 21 sqq.; REIFFENSTUEL, *Ius can. univ.*, Proem., § IV, n. 54 sqq.; FERRARI, *Bibliotheca*, etc., v. *Ius*, n. 23 sqq.; SALZANO, *Lezioni di Dir. can.*, vol. I, lib. I, par. II, lez. III sqq., p. 57 sqq., SANTI-LEITNER, *Praelect. Iur. can. Prolegom.*, n. 4, sqq.

tinae, seu Decretales Clementis V; 5) Decretales Ioannis XXII, *Extravagantes nuncupatae*; et 6) *Extravagantes communes*. Additus quidem inventur in nonnullis exemplaribus *Liber VII Decretalium*; sed hic nunquam receptus est; opera enim Petri Matthaei, Iurisconsulti Lugdunensis digestus et editus fuit. - De alio *Septimo Decretalium libro* memoratu dignam relationem facit Prosper Fagnanus in c. *Cum venissent*, n. 61, sq., *de Iudiciis*.

Hoc opus quidem miris elucubratum laboribus illustrium Iuris peritorum, iussu Summi Pontificis, iam a praelo discesserat; at promulgatum et in lucem editum non fuit, hac potissimum ratione. Comprehendebantur enim in eo S. Conc. Tridentini Decreta, ad quae, sic publicata, fieri nequibat quin glossae et commentarii adnotationes et interpretationes per Doctores adderentur. Ad hoc autem e diametro se opponebat Bulla *Benedictus Deus* (vii kalendas Febr. MDLXIII) Pii IV, generaliter prohibens commentarios, glossas, scholia, etc., circa illa Decreta. Ideo hic liber minime ad lucem venit.

Corpus Iuris Canonici *Ius novum* in scholis audit, propterea quod praecesserat *Ius antiquum*, secutumque est *Ius novissimum*. Illud respicit periodum Christianae Religionis, ab origine usque ad saec. XIII: hoc vero omnia amplectitur quae a Conciliis, a Summis Pontificibus, a SS. Congregationibus Cardinalium, etc., sancita sunt, a saeculo XV usque ad nostros dies.

Ius antiquum quod attinet, initio nullus exstitit legum Codex proprius dictus. Summi Pontifices circa quae-

stiones sibi delatas iudicium ferebant, iuxta S. Scripturae oracula, vel Sanctorum Patrum sententias; quae Papae iudicia non exiguo fuerunt numero, scribente de se S. Hieronymo: « Quum iuvarem Damasum Romanae Sedis Episcopum, et innumeris Occidentis ac Orientis consultationibus respondearem ».¹ Et quum licuit, libertate scilicet Ecclesiae adepta, haec *Responsa Pontificum in Archivio, Chartario, sive Scrinio asservata* fuere.

Exstat perantiqua collectio, quae in appendice Decreti Gratiani inserta est, titulo « *Canones Apostolorum* » quorum alii auctorem dixerunt S. Clementem PP. I, alii serius conscriptos affirmant. Nec iuvat hic quaestionem de re instituere.

Auctis vero, temporis decursu, Summorum Pontificum et Conciliorum decretis, privatis viris visum fuit collectionem confidere, ne diutius extra unum Corpus Decretorum incerta ea vagarentur.² Memorantur autem plurimae huius generis *collectiones* tum in Orientali, tum in OccidentalI ecclesia; quarum praecipuas recensebimus.

I. *In orientali Ecclesia*. - Quum Religio Sancta Catholica exordium haberit in Oriente, ubi Divinus Conditor natus est, vixit et sua morte omnes implevit prophetias; quumque in orientalibus Ecclesiis priora fuerint celebrata Concilia, *Collectiones* ibi primitus Sacrorum Canonum confectae fuere.

Harum antiquissima est *Collectio Canonum*, de qua fit mentio in Actis Con-

¹ S. HIERONYMUS, *Advers. Ruffinum*, lib. V, tom. 2, col. 349.

² REIFFENST., I. c., n. 55.

cili Chalcedonensis (Action. IV et XI). Haec insertos habet *Canones Conciliorum generalium Chalcedonensis*, Nicaeni I, Constantinopolitani I, atque particularium Conciliorum Ancyran, Neocaesariensis, Gangrensis, Antiocheni et Ladiensis. Celebris evasit haec graeca collectio, praesertim quia saec. IV et V ecclesiasticam exhibeat disciplinam.

Confecit secundam collectionem Theodoretus, Episcopus Cyrensis. Praeter *Canones* in praecedenti contentos collectione, Theodoretus inseruit in hac sua *Canones Apostolorum*, 21 Can. Concilii Sardicensis, 7 Conc. gen. Ephesini, 25 Conc. gen. Chalcedonensis et 27 ex operibus S. Basilii excerptos.

Ultimae collectionis auctor fuit Ioannes Patriarcha Constantinopolitanus, vulgo *Scholasticus* nuncupatus. Canonibus secundae collectionis Joannes hic addidit aliquot leges, ex iure civili excerptas, canonibus ecclesiasticis quodammodo respondentes. Successor in Patriarchatu, Photius, *Canones* huius collectionis per capita et titulos divisit, atque Doctores Zonara et Balsamon exornarunt notis et explicationibus. Quae ita digesta et composita celeberrima evasit.

II. *In Occidentali Ecclesia*, prima est *Collectio hispanica*, seu *Isidoriana*, ex auctoris nomine (probabiliter S. Isidori Hispalensis). Hanc secuta est collectio dicta *Prisca*. Utraque autem habet *Canones* graecae collectionis, in latinum translatos, adiectis etiam canonibus Africanae Ecclesiae.

Tertia est collectio Dionysii *exiguus* (humilitatis ergo sic appellati), qui praecedentis *Priscae* collectionis canonibus, addidit Decretales, cum veris etiam spu-

rias, usque ad VI saec. inclusive. Non defuit huic collectioni celebritas; et alio nomine vocatur *Hadriana*, eo quod ab Hadriano Papa Carolo Magno dono data.

Quarta est collectio Isidori *Mercatoris* seu *Peccatoris* (quod est pseudonymum, iuxta alios, quum nomen eius verum fuisse Benedictus Levita Moguntinus), edita circa annum DCCXLV. Etiam haec collectio aliquos (ni dicamus multos) habet falsos *Canones*.

Successu temporis, aliae confectae fuere collectiones canonum, usque dum suam confecit Gratianus, Monachus clusinus O. S. B., Bononiae degens. Hic appellavit suam collectionem *Concordantiam discordantium Canonum*, seu simpliciter *Decretum*, eamque edidit an MCL. Gratianus usus est collectionibus iam existentibus, praesertim collectionibus Reginonis, Monachi O. S. B., et Burchardi, Episcopi Vormatiensis, omissis erroribus huius signanter collectionis. Et hoc Gratiani opus, quod celebritatem nimiam statim adeptum est, componitur ex variis S. Scripturae testimoniis, ex Conciliorum decretis, ex Constitutionibus et Decretalibus Romanorum Pontificum, ex pluribus sententiis SS. Patrum, et ex selectis etiam legibus civilibus.

* *

Cum hoc Gratiani Decreto *Ius novum* cooperat. Postquam autem hoc *Decretum* publicatum fuit, aliae quinque prodierunt collectiones, sive *Compilaciones*, usque ad Const. *Rex Pacificus*, d. V Sept. MCCXXXIV Gregorii IX. Prima compilatio (MCLXXXVII-MCXCII) sive *Bre-*

viarium extravagantium Bernardi Papiensis fuit, qui primus celeberrimam illam rationem dividendi materiam iuris canonici in quinque libros, libros in titulos, hosque in capita adhibuit. Secunda compilatio, quae ratione temporis tertia haberi solet, a Ioanne Galensi (intra an. MCCX-MCCXV) est composita. Tertia (secunda ratione temporis) auctorem habet praecipuum Innocentium III (MCXCVIII-MCCXVI), qui hanc collectionem Constit. *Devotioni vestrae*, d. xxviii Dec. MCCX approbavit et impli- cite authenticam declaravit. Quarta etiam Innocentii III opus est, (teste Ioanne Andrea). Quinta denique compilatio est Honorii III (MCCXVI-MCCXXVII), qui aliquot Decretales suas colligi et, cum Const. *Novae causarum*, magistro Tancredo, Archidiacono Bononiensi, transmitti mandavit.

Anno autem MCCXXXIV, uti diximus, Gregorius IX, memorata Constitutione, compilationem approbavit confectam per S. Raymundum de Pennafort, Mag. Gen. Ord. Praed. - Sanctus Magister, in Decretis doctissimus, triennio adlaboravit (MCCXXXII-MCCXXXIV) iussu Summi Pontificis, qui opus *Compilationem* appellavit; et in prooemio *Rex Pacificus*, voluntatem suam expressit « ut hac compilatione universi uterentur in iudiciis et in scholis ». Atque insuper districtius prohibuit, « ne quis praesumat aliam facere, absque auctoritate Sedis Apostolicae speciali ». Nomen autem *Compilationis* paullatim defecit, et inventa sunt alia nomina: *Liber extravagans* - *Decretales Gregorii* - *Decretales Gregorii Papae IX*.

Et haec satis de Iure antiquo et novo.


**

Novissimum autem Ius canonicum diximus, quod complectitur Constitutiones et Decreta Conciliorum et Pontificum, atque Bullas editas post *Extravagantium* libri editionem, usque ad haec nostra tempora. Item Regulae Cancellariae, SS. Congregationum decisiones, etc., pertinent ad hoc novissimum ius. Unde nemo non videt quam magna sit coacervatio iurium et legum, atque neminem fugit « continuatione quadam accessionum per tot saecula in eum excreuisse quasi cumulum, ut eas omnes habere perceptas et cognitas vel iuris peritissimus quisque haud facile posset. Ad haec, multorum statuta canonum cum ob temporum commutationem iam non moribus congruerent, apte prudenterque erant novanda. Quo igitur melius, cum disciplinae emolumento, constaret, quae iura et instituta valerent in Ecclesia, apparebat ex Ecclesiae legibus componi codicem oportere, qui facile inter manus versari posset: id quod non solum Episcopi clerusque exspectabant, sed omnes qui se Iuris Canonici studio dederant ».¹ Quod autem diu Episcopi et Clerus et studiosi exspectabant et Apostolica Sedes sibi proposuerat, difficultatibus hactenus non obstantibus, nunc tandem perfici potuit, admittente sa. me. Pio PP. X. Qui vel ab inito Summo Pontificatu, viris peritis ad hoc opus adlectis, imprimis ex Emorum Cardinalium Collegio, eos, uti fertur, ad opus explendum incumbere statis diebus volebat,

nec unquam ut a labore sese eximent patiebatur.

Et nunc faxit Deus, ut praesagium SS. D. N. Benedicti XV plene adimplatur; ut scilicet « quemadmodum cum promulgatione novi Codicis tranquillior Ecclesiae, ut speramus, ac fructuosior quaedam oritura est aetas, sic societati civili, restituto per iuris ac iustitiae verecundiam ordine, exspectata celeriter illucescat pax, quae gentibus rursus inter se amice compositis bonorum omnium pariat ubertatem ». Fiat, fiat!

JOSEPH FAMELI,

Supr. Apost. Signat. Trib. Referend.

In Michaëlem Cervantes Saavedra a morte saeculo tertio exeunte

*Non dolis tutas, trepidas puellas,
Non viros iustos nece liberatos,
Sceptra vi foedis neque capta Turcis*

Dura per arma,

*Gloriam sed vanam et inane nomen
Re sine elati, sibi vindicabant
Qui tuo egerunt equites, Savedra,*

Tempore vitam.

*His bene oblongum gladium revincis,
Quem cruor nullus generosus atris
Sparsit pugnis, vitreaque obarmas*

Casside frontem!

*Bella non illos vocat ad cruenta
Aestuans virtus, patriae salusve;
Pulchra non illi per acuta rerum*

*Vulnera querunt.*¹ Cf. *Alma Roma*, ann. III, fasc. VI, pag. 108.

*Mos erat solas peragrare valles
Atque agros, et res agere in tabernis,
Caupo dum vecors, muliercularum
Turbaque ludit.*

*Commovet risum Chichiotus acer
Sancio Pansa duce, fabulosos
Ense dum nudo minitans gigantes
Verberat auras;*

*Sanguinem heroum putat esse vinum
Ipse quod fractis male fundit urnis!
Ad suos demum redit indecoro
Pulvere turpis.*

*Sic tuo libro violentus aestus
Et poetarum ac equitum resedit,
Ut per adversos scopulos tumescens
Frangitur unda.*

*Tu quidem Christi patriaeque miles,
Fortis in rebus dubiis refuges:
En ruis saevus medios in hostes,
Teste Corintho.*

*Teque bellantem metuere Turcae;
Nam tibi quamvis ferus ensis ictu
Brachium frangat, validus minaxque
Praelia misces.*

*Sideris virtus tua falsit instar,
Qua die nostris in opem superna
Virgo descendens scythicas catervas
Aequore mersit.*

*Donec humano fluet ore risus,
Atque Naupactus fidei triumphum
Concinet, laudis tibi sera cinget
Fama superstes.*

Neapoli.

FRANCISCUS PISCOPO, S. I.

*Non census, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas Magnos, ingeniumque facit.*

OVIDIUS, ex Ponto.

**De Tabellariis et cursibus publicis
apud Romanos**

Ille ego qui nuper de epistolarum diribitorio prolixius sum praefatus,¹ pretium operis facturum esse speravi, si in eodem ferme argumento remanens, paucula in medium referrem de antiquis tabellariis. Magnum equidem discrimen pro singulis temporibus intercedit; iuvabit tamen in mentem revoicare quanam potissimum ratione antiqui, remotis quoque locis morantes, inter sese, quaestus causa, negotiorum commercium obtinerent, et, data occasione, id foverent propter mutuam populorum utilitatem. Namque ipsa Roma, uti constat apud omnes, nihil aliud fuit ab initio atque veredorum statio. Ideoque frequenter mos apud veteres positus erat, ut civitates in civium commodum aptam huiusmodi stationem conderent. Hinc factum est ut primi Latii incolae in dies rem mercaturis faciendis quaeritantes, ex suis oppidis exeuntes cum vicinis populis commercium inire quodammodo studerent. Locum autem harum rerum principem, in quem frequentiores conveniebant, *forum romanum* appellarunt, ipsamque viam, qua undique itebatur, superbo equidem ausu, *sacram* appellari voluerunt. Perperam propterea Ovidius scripsit:

Haec est a sacris quae via nomen habet!

Multo vero post tempore, consules Romani hac ipsa via victos hostes per ludibrium triumphantes trahebant. Ibi

quoque *tabernae*, tempore labente, conditae sunt, et hospitia, in mercatorum commodum atque advenarum. Hic enim locus in immensum pro omnibus patens, uti veredorum statio adhibebatur, quo mercatores commerciis ineundis convenire consueverunt. Ab urbe tamen aliquantis per seiunctus erat, atque ad extremam eius priorem partem. Ut autem saepe inter mortales accidit, qui omnia quaestui habent, *tabernae*, *diversoria*, *templa*, *tribunalia* ob perpetuas commerciales quaestiones, uno verbo, omnis omnium rerum civilium compago in hunc ipsum locum cogitur. Et quoniam urbes primum in summis montibus plerumque conduntur, hic nova saepe exsurgit civitas, ad quam renascens civium spiritus influit et verax novarum rerum principium. Atque adeo haec intima urbs habetur, etsi nomen *viae sacrae* antiquam semper originem posteris tradat.

Hisce itaque viis constructis forisque est plerumque magnitudinis Romae acceptum referendum. Populi enim Romanorum sapientiam admirabantur, qui, devictis gentibus, vias illico deducere consueverunt, ob mutua commercia ac novorum populorum utilitatem. Qui ex suis oppidis altius aedificatis profecti, apud veredorum stationem, in apertis areis fora construere, diversoria, domusque coeperunt. Hinc novae prope modum urbes apparent, quarum complures nomen antiquum retinent, ut scilicet Forum Iulii, Forum Clodii, Forum Cornelii. Lapis secus viam distantiam designat, vel eius nomen qui illam deduxit. Adsunt insuper varia diverticula et compita, qua citius ad minora oppida itur, ad societatum bona,

vel ad privata. In ipso viarum occursu, et praeter ipsas et arae ponebantur, tabernae, hospitia, sedilia, fontes cum hortulis, et fora, quidquid uno verbo pulchro inservire poterat hominumque commodo, vel necessitati. Haud silentio praeterire possum, hic secus viam in mortuorum clarissimorum obsequium sepulcra aliquando condita fuisse.

Hic tamen primum quaestio occurrit, quae iamdiu doctos homines torquet, utrum essent apud Romanos publici certique tabellarii et cursus.

Quum autem complures hac de re eaedemque discrepantes sententiae sint prolatae, illorum opinio mihi maxime probanda videtur, qui contendunt, Romanos, quum toti essent in proferendis reipublicae finibus, atque in viis forisque construendis, in primis consulere debuisse quanam potissimum ratione colonias sibi commodius allicere per mutuam commerciorum negotiorumque consuetudinem.

Ad rem enim faciunt *mutationes*, ubi scilicet veredi itineris fessi mutabantur. Et ipse Cato de se narrat, profectum Tarento post quatuor circa dies Romanam publicis cursibus pervenisse; tabellariis quoque usum fuisse, eo quidem nomine ne suum sigillum inaniter quodammodo adhiberet. Et Cicero haud queritur quod epistola sua modo post aliquot menses amico prolata fuerit. Et Augustus, qui omnium rerum companionem mirabiliter disposuit, haud equidem potuisset citra iniuriam, supremam hanc ordinis regulam praeterire.

Et *cursus publicus* et *vehiculatio* passim adpellantur, quae advenientibus imperatoribus, provinciarum impensis ac municipiorum semper viguerunt.

Nos vero, novis semper saeculi inventis nimis forte gloriosi, maximis laudibus ferimus tabellariorum huiuscem temporis servitia, omnino commode ac perfectissime disposita. Haud sum equidem nescius quot sint ingeniorum humanorum inventa, ea tamen condicione, ne tot iniuriis patrum ignorantiam falso insimulemus. Namque si de tabellariis sermo unice est, satis sit dicere, iam imperante Constantino, et ipsos cursorios rerum fasciculos, quos *pacchi postali* sermone nostro dicimus, in publicum commodum tutissime adhiberi.

SENIOR.

DE BEATO BAPTISTA MANTUANO

insigni poëta latino

Quartum recens exactum est saeculum, ex quo Mantuanus, vir ille latinis litteris non minus quam morum sanctitate conspicuus, e mortali vita decessit. Quem memorabilem eventum celebratum voluit Academia Romana, cui ab *Arcadia* nomen, indicto in suis aedibus, superiore mense, litterario conventu, cui interfuerunt ex ordine sive civili sive ecclesiastico auditores spectatissimi, non exceptis Patribus Cardinalibus. Ipse etiam Summus Pontifex lectae gratulatus est audientiae per epistolam, quae, in recolendis Mantuani laudibus, arctam asseruit affinitatem, quae in Ecclesia catholica semper exstitit inter bonas artes et litteras ac religionis pietatisque studium.

Lectoribus igitur huius Commentarii gratum fore arbitramur finique nobis

¹ Cfr. an. III, fasc. X-XI.

proposito plane consentaneum, si et nos vitam et scripta Mantuani breviter commemoremus.

Huius avus Antonius, paterque Petrus, ex urbe hispanica Corduba - unde olim ortus est rhetor, philosophus et tragoedus Seneca - sub primis decenniis saeculi xv in Italiam migraverunt sedemque fixerant in urbe Mantua. Fuerat illis gentilitium nomen *Modover*; at vulgo appellari coepti sunt *Spagnuolo* sive *Hispanus*. Baptista noster Mantuae natus anno MCDXLVIII, ibidem emensus est litterarum curriculum; quo absoluto, in celebri studiorum Universitate Patavina philosophicis disciplinis sese addixit. Tum vero, sedecim natus annos, Ferrariae, Ordinem B. Mariae de Carmelo ingressus est, quum iam octo ex suis *Eclogis*, Vergilium imitatus, scriptis mandavisset. Inde Romam missus, in studia theologica incubuit, atque anno MCDLXXII sacerdotio auctus est, lauream gradumque Magisterii assecutus. Ex eo tempore, ut ipse declarat (*De Patientia*, III, c. 13), quotidie fere concionabatur ad populum. Simulque privatis consiliis nemini, qui eius opera indigeret, unquam se negavit; tanta quidem praeditus maturitate iudicii ingenique dexteritate, ut a Casalensi episcopo, Agnello Maffei, his commendatus fuerit Sidonii Apollinaris verbis: «Abundat animi sale, quum consultur; melle, quum consultit».

Nihil itaque mirum, si in sua religiosa Familia varia eaque paeclaras gesserit munera. Nam praefuit et Mantuano Ordinis coenobio, et Romano ad S. Chrysogoni. Custos item renuntiatus est sacrosanctae Domus Laureta-

nae; sexies electus est suae Congregationis Vicarius generalis; ac demum, anno MDXV, Praeses cooptatus est totius Ordinis Carmelitici, quo in munere Concilio V Lateranensi interfuit. Paulo tamen post, anno nempe insequenti, die xx Martii, e vivis sublatus est, tantam nactus sanctitatis famam, ut mox sibi nomen Beati promeruerit. Corpus eius in ecclesia cathedrali Mantuana ad hunc usque diem incorruptum servatur. Diuturnus autem ipsius cultus anno MDCCCLXXXV a Pontifice Maximo Leone XIII solemniter est approbatus; eaque occasione, futurus Pontifex Romanus Pius X, tunc Mantuanus Episcopus, insignem Beati pronuntiavit laudationem.

Haec quidem satis erit de viro religioso et sancto dixisse. Ad poëtam vero quod attinet, non minor fuit eius, cum apud aequales, tum apud posteros gloria. En quibus eum salutat verbis doctissimus Picus a Mirandula: «Olim ad te non scripsi, Pater optime, sed interim legi quae scripsisti, divina scilicet atque sanctissima tua poëmata, in quibus ea rerum maiestas, is splendor est eloquentiae, ut certatim in illis palmam sibi vindicare verba et sententiae videantur». - Nec aliter sensit vir litterarum item peritissimus, Philippus Beroaldus, qui haec declarat: «Perlegi nuper divina divini Baptistae Carmelite poëmata, quae evidenter ostendunt, parentem rerum Naturam, in progenerandis poëticis ingenii, haud quaquam decoxisse, Mantuamque nobis alterum Maronem ... reddidisse ... Monstratur digito praetereuntium, nec solum habetur in manibus et ediscitur, verum etiam in scholis enarratur, et

inde saluberrima tyrunculis dictata Grammatistae praescribunt». Haec autem consuetudo utendi scriptis Baptista in edocendis discipulis late per totam Europam pervagata est ac diu perduravit.

Similes poëtae nostro laudes tribuit celeberrimus Erasmus Rotterodamensis, qui ad Iacobum Wimpeling scribens, sic ait: «Malim hemisticium Mantuani, quam tres Marullicas myriades»; et in alia epistola ita scribit: «Nisi me fallit augurium, erit, erit aliquando Baptista suo concive (nempe Vergilio) gloria celebritate que non ita multo inferior, simul ac invidiam anni detraxerint». Ex hac demum illustri et communi fama, quam sibi Mantuanus acquisivit, factum est, ut eius opera sive singula, sive omnia, plures variisque in locis edita fuerint.

Sane quidem nonnulli Mantuani admiratores in suis laudibus modum excesserunt. At negari nequit, ipsum inter antiquiores et primarios renatae latinitatis cultores esse recensem, qui viam multis imitatoribus aperuit, diuque fuit in honore, donec tandem, de crescente studio latini eloquii, negligi coepus sit atque immeritae tradi obliioni. Nec etiam diffitemur, ipsum servilius aequo voces adhibuisse et locutiones polytheismum et mythologiam redolentes, quae Christianas aures ingrate afficiunt. Cui tamen vitio


minus ille indulxit, quam alii non pauci poëtae neo-latini. Accedit, quod ille, etiamsi vox interdum paganice sonaret, sensum perpetuo retinebat christiana pietate intime imbutum. Hac enim mente spolia falsorum numinum colligebat, ut ea Christo victori veluti trophaea offerret, ea ferme ratione, qua triumphanti cultui christiano haud

raro consecrata fuerunt templa, ethnicae prius superstitioni dicata. Ultero etiam concedimus, reperiri in Baptista poëmatis nimiam prolixitatem et longiores saepe excursus, qui rerum nexum interrumpant.

Tandem non omnes auctoris poëtici labores supremam experti sunt limam. Saepissime enim, rogatus ab amicis, versiculos ve-

lut ex tempore effudit; qui deinde (ut ipse conqueritur) inscio se et absente, «fuerunt ante tempus ablactati et ante emendationem editi». Si quis igitur vitam actuosissimam Mantuani recognitet, tot aliis severioribus curis et muneribus occupatam, ita ut poëmata sua (sicut ipse fatetur) carptim fere omnia composuerit; si immensam simul computet seriem carminum, quorum versiculi versus Vergilianos ter quaterve numero superant, is profecto non mirabitur, non omnia eius carmina ad unguem perfecta fuisse et expolita.

Praeter *Eclogas*, iam supra memoratas, scripsit Mantuanus opera quaedam ampliora; uti *Parthenicen*, septem



complectentem libros, in quibus Dei parae Virginis aliarumque sanctarum virginum vitam ac gesta cecinit; item volumen *De sacris diebus*, in duodecim libros, iuxta numerum mensium distributum, ubi *Fastos* Ovidii imitatur. His accedunt opera didascalica, nempe *Alfonsus*, aliisque libri tres *De calamitatibus temporum*, quo postremo in labore auctor maiorem curam et industriam videtur impendisse; quare et nostris diebus curis Patrum a Monte Carmelo, volumen illud iterum praelato traditum est.¹

Sequitur dein poëmatum plus minusve longorum series amplissima de que argumentis cuiusvis generis, in quibus appareat auctoris ingenium mire versatile, aeque promptum grandia et minuta, severa et amoena, sacra demum et profana concelebrare. Speciminis causa, duo h̄ic libet afferre carmina: alterum mite et suave, *De laudibus almae Pacis*; alterum, excerptum e libro I *De calamitatibus temporum*, vehemens et acre, in quo monstruosum *Ingluviei* vitium ita graphicè describitur, ut hodiernum legere tibi videaris scriptorem, crudo (ut aiunt) verismo indulgentem.

FRANC. X. REUSS.

I. - DE LAUDIBUS ALMAE PACIS.

(Post bellum Ferrariense).

*Pax, caeleste bonum, sacrī altaria flammis
Atque tepescentes suscitat igne focos.
Pax hominū genitrix, pax est custodia rerum;
Pax aperit iuris iustitiaeque forum.*

¹ B. BAPTISTA MANTUANI, Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum, libri tres *De calamitatibus temporum*. Nova editio anno saec. IV a morte Auctoris, curante Fr. Gabriele Wessels, Adistante Generali eiusdem Ordinis. - Romae, Via Sforza Pallavicini, 10.

*Gloria pace minor, minor est victoria pace,
Atque aliiquid peius pace triumphus habet.
Nulla quies homini, nulla est sine pace voluptas,
Nullus amor, nullum religionis opus.
Pax arbes, pax regna ligat, pax congregat orbem,
Fiat ut ex multis urbibus una domus.
Saecula pax renovat, pax aurea tempora portat,
Et mores priscae simplicitatis habet.
Ingenuae redeunt artes, academica florent
Ocia, Castaliae sollicitantur aquae.
Pax facit innocuos saltus nemorunq[ue] recessus:
Tutus it et tutas advena portat opes.
Pax Cererem campis et mitem collibus uvam
Reddit, et armoso dividit arva bove.
Gramina pace virent, per pingua pascua laetum
Luxuriat multa fertilitate pecus.
Pax vehit eoas peregrina per aequora merces,
Et steriles ponti non sinit esse vias.
Pax hilares mensas facit et convivia passim,
Et recreat molli tristia corda mero.
Pax aperit thalamos hymenaeaque carmina cantat,
Excitat et resides non sinit esse lyras.
Pro gladiis lauros habet et pro casside sertam,
Et sua palladia tempora fronde ligat,
Gestit et ad Thyasos agili volat ardua saltu,
Et vocat ad festos agmina longa dies.*

II. - QUINTUM MONSTRUM: GASTRIMARGIA (GULOSITAS).

*Hoc quoque Cerbereis monstrum de faucibus exit
Ridiculum: nam pingue caput, frons prominet alta,
Labra, genas oculosque tumens, sub gutture lato
Surgit et inflatum tollit cutis uida pectus.
Trita, brevis, maculata mero et pinguedine vestis
Vix renes, clunemque tegit, ventremque profusum.
Raraque collisis aegre vestigia mutat
Poplitibus, curvis putruere sub unguibus escae.
Ad lumbos, ad utrumque latus lacrymantia circum
Tuceta et guttis suspensa fluentius haerent
Sumina, lapsus adeps iter et vestigia signat.
Oenophoro laeva armata est, abdomine dextra,
Ante cibos quam pressa gravi sub fasce priores
Concoxit natura, novas superingerit offas,
Impatiens famis, escarum infinita vorago.
Pocula prensa manu sitis implacabilis haurit:
Et crebro exhilarat Bacchus convivia potu.
Garrula, lenta, salax, petulans, improvida, turpis,
Immemor, indocilis, levis, ebria, dedita somno,
Semper olet, naresque gravi contristat odore.
Talis erat multo spumans Silenus Iaccho
Quum capit is nutu in collum curvatus aselli
Cervicem super atque iubas stillante saliva,
Risus erat Faunis, Nymphisque colentibus agros ...*

PRO IUNIORIBUS

De Chlodoaldo narratio.

Movit haec, crebris singultibus interrupta oratio, quotquot aderant amicorum, carissimi capitis vicem dolentium; movit saxeum ipsum Numen, ut ad misericordiam delaberetur, ita tamen, ut beneficij munus turpitudine quaestus pensaret.

Audita vox est, ex adytis penetralibus emissa: « Ea demum conditione incolumem fore Chlodoaldum, si qui prior omnibus obviam venienti domum fieret, quem piacularē hostiam immolare ». Visa lex est eiusmodi, cui nequaquam satisficeret; simul est illud ab omnibus iudicatum, remedium ad levandum morbum proponi, quod ipso morbo multo foret acerbius. Quum tamen aliud omnino, qua premebatur, calamitas Chlodoaldo suaderet, nec vero valde, quibus ipsius incolumitas cordi erat, abhorrente, accepta conditio est. Adeo potiora nostra nobis commoda alienis sunt; leviterque maxima aliorum damna ferimus, dummodo ne qua in nos eorum fiat derivatio.

Quamquam nemini postmodum praeceps ac temeraria deliberatio tanti stetit, quanti ipsi, qui dux eius capessendae fuerat. Ubi enim ab ara discessit, quo se domum, ingruente iam nocte, reciperet, inventus est ab amicis, qui praecurrerant, Hyacinthus puer, quem imprudentem sua illuc fata ducebant. Cuius simul ut nota vox ad aures caeci genitoris accidit, pronum non est cogi-

tatu, nedum relatu, qui moeror, quae animi perturbatio, vel consternatio potius, illum invaserit. Aestuabat dubitatione, versabat se in utramque partem, non modo mente, verum etiam corpore; ut omnes, qui aderant, intelligere possent, eius in animo, tamquam in arena, dolorem pietatemque pugnare; donec pietati adversus natum dolor de caecitate succubuit, palamque, omnibus audientibus, testatus est: « nolle se cuiusquam dispendio vitae, nedum amantissimi filii, vel acerrimum vindendi sensum redimere; malle se citius, quoad vita suppeteret, caecum esse, quam orbum: relevari enim caecitatem a liberis, orbitatem vero nulla re compensari posse ».

Sed profecto actum de puero fuisse - (quae nullae minae precesque, quum de remedio cognovit, retardare potuerunt quominus se in sacerdotum manus dederet, enixeque supplicaret ut suo cruro parenti optimo quoddam quasi collyrium conficerent) - actum, inquam, de puero fuisse, nisi pridie eius diei, quem nefariae caedi dixerant, ita accidisset, ut equites duo quidam tempestive intervenirent, suoque adventu compositae iam rei, indictaeque ad diem posterum sententiae moras iniicerent. Etenim, ubi rumor est ad illorum aures allatus, inferendam, sub proximi auroram diei, insonti puerulo cuidam ab idoli sacerdotibus necem, ut erant ad omnem captandi nominis parandaeque gloriae occasionem erecti, tantam illam ab innocentī capite pestem depellere ac propulsare, vel suo periculo decrevere. Itaque in silvam veniunt Hirminsuli sacram, latebras ad insidias collocandas inquirunt, in eas

¹ Cfr. num. sup.

addunt sese abstruduntque, Auroraemque nomen, rei feliciter gerendae ut adesset, atque iter suum acceleraret, certis quibusdam conceptis, patrio more, precibus, implorant.

Qua appetente, frequentissimum populum in locum convenisse vident, directoque supplicantium agmine recta ad templum contendere. Praeibat, attalico panno, insigne vexillum, acu vario contextum: pone bifariam partitus populus sequebatur, tympanis et sistris perstrepens. Medius immolandus puer omnium ad se oculos, vittata fronte, reiectis in tergum manibus, convertebat; cuius capiti minabatur tortor, nudato ad caudem acinace. Hinc astatorum militum lecta cohors, ad vim, si qua fieret, prohibendam. Agmen denique cladebat, demisso vultu, candido amictu, passis crinibus, Hildegarde, quae, ut olim taurica in Chersoneso Iphigenia Diana sacris praerat sacerdos, ita tunc ipsa in cimbrica Hirminsuli operabatur invita, pari licet sacerdotio nobilis. Atque illa quidem prope fuit, ut Orestem fratrem ad impias aras obtruncaret; haec prorsus ignara fraternum funus prosequebatur. Quacumque feralis coetus incedebat, aer huiusmodi votibus personabat, quibus Hirminsulis laudes continentur.

Hoc loco non diutius cunctandum ratus Ischirion (hoc erat enim alteri ex equitibus in saltu latentibus nomen); ad sociumque conversus: « Audendum est - inquit - o mihi in omnes casus fidissime comes: inferamus nos actuatum in medium agmen, puerumque iam sub ictu casurum strenue repetamus. Eripe te morae: audentes Deus ipse iuvat ». Secundum quae verba, ne-

que ullum responsum expectans, coortus repente ex insidiis, contento cursu, qua spissior miles irrumpit, obvios quoque, districto ferro, trucidat; reliquos eo adigit, ut praclare secum agi putent, si fugiendi potestas fiat. Ipse interea vincula, non sine fletu, etsi erat ad lacrymas difficilis, attonito, et quo res evasura tandem esset ignaro, laxat Hyacintho: et manum expedit utramque.

Sed ecce tibi superveniunt a tergo, quos in fugam modo coniecerat, sacrificuli, militesque animis, furore, numero aucti, in puerumque involant, se confertim, densi humeris, congregantes; ut factum proprius nihil fuerit, quam ut colluvie illa hominum, qui circum sese fuderant, puer collideretur. Instauratum hic certamen a strenuissimis adversis; quorum virtuti quum sacerdotum vulgus militumque impares essent, incerti iam iam videbantur, victorum ne se potestati, an fugae potius committerent; fecissentque alterutrum, ni sacerdotis maximi, qui rei non interfuit modo, verum etiam praefuit, vafrum sagaxque consilium intercessisset. Qui animadvertis, quo res loci esset, silentium significavit, sibique ut fieret audientia, extenta manu petivit. Quumque clamor tumultuantum, auctoritate hominis pressus paulum resedisset, convenire rem, inquit, posse sine cuiusquam fraude, si patrio more ageretur; nec addicta caedi victima per vim, sed feris, inspectante populo, caesis in arena, ex veteri instituto, vindicaretur. Abstinerent itaque quisque manibus, nec aequissimae conditioni non acquiescerent externi illi, fortisque iuvenes, quos una pietas - aiebat - gloriaeque cupido tantum in discrimen, ut facile

apparebat, vocaverat; gloriosum ipsis magis atque praecarius fore, si per truculentissimarum ferarum exitium, viam sibi, ad necem ab hominibus avertendam, aperirent.

Haec etsi eo consilio iactavit pontifex, ut longius res fieret, atque ita clam de puero transigeretur; quia tamen nulla exteris incidit fraudis suspicio, pronis auribus excepta sunt, et animo liberali. Ventumque die postero ad certamen, quod primo cum immani urso, dein cum horribili est leone susceptum. Anceps diu pugna fuit, certatumque utrinque incredibili ardore, parilique dexteritate; verumtamen tandem ab invicta Ischirionis dextera uterque cecidit. Tulit enim vero indigne sacerdos maximus, excogitatum in hominis perniciem irritum fuisse consilium. Quapropter nulla fidei habita ratione, Ischirionem, indicta causa, ipso temporis punto, in carcerem abripi cum socio condique iussit; quum diceret bestias illas, utpote Hirminsuli devotas, impune occidi nulli mortalium fas esse.

Interea infelix Ischirion in vincula coniectus, publicam rapitur in custodiā, ubi fame enectus, tamdiu in squatore ac sordibus iacuit, quoad sacerdos Hildegarde, in quam carceris victorumque cura incumbebat, remitti non nihil de severitate praecepit, ne cum viro, quem genere splendidum vel ipse vultus arguebat, similiter ageretur, atque cum ceteris quisquiliis fieri consueverat. Alia etiam praecipua causa suberat, ob quam alienigenarum hominum patrocinium ultiro suscipere voluerit. Induxerat sibi in animum tantam virorum strenuitatem, officium, pietaatemque, a qua vel capta vel incensa

iam inde fuerat, quum strenue e conforta multitudine Hyacinthum repentes viderat, nequaquam sibi defuturam in consilio, quod tacita dudum mente premebat, feliciter expediendo. Namque ab eo tempore, quo primum in praedonum manu devenerat, hoc semper egerat, huc sua consilia omnia cogitationesque retulerat, ut ubi aliquis flatus ostenderetur, libertati velificaret suae. Hoc illa consilium, ad eam diem, aperuerat nemini, quod neminem idoneum reperisset, qui sibi tanta in re praesto foret.

(Ad proximum numerum).

H. L.

ANNALES

Europaeum bellum.

Indictio maritimi belli per subaqueas praesertim lntres peragendi, nulla ratione habita, ne nationum quidem neutri parti faventium, protestationes amplissimas, uti par erat, in Teutones undique commovit; maxime autem ex Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Praeside, qui oppositas asseverationes revocans iam antea, in discriminē de re exorto, sibi a Germanico gubernio datas, Germanorum legatum dimisit, suumque ex Germania retraxit; a Senatu autem petivit, ut mercatoriae Americanorum naves tormentis bellicis instrui possent ad vim vi per occasionem repellendam. Quamquam primo hoc novi belli mense effectus non ii fuisse videntur, quos Germani fortasse sperabant ...

Quibus interim magis in terris pugnandum fuit cum Anglis, qui hostilia

mumenta prope Arras et Ypres hic illic perfringere valuerunt, atque in Ancre regione progressi sunt ab oppido Grandecourt usque ad meridiem oppidi Commecourt.

Ipsi Angli in Asia quoque successus reportarunt, ad dexteram Tigris fluminis procedentes usque ad Hai fluminis confluentiam; Turcas autem quum circumdedissent ad Kut-el-Amarra, post aliquot dies fuderunt exque urbe removerunt, quam ita in suam potestatem redigere.

Contra Italos, Austriaci plures impetus ex improviso tentarunt; sed frustra. Horum acerrimum ad orientem Goritiae urbis intulerunt; ubi si hostes removere aliquantis per sibi visi sunt, insequenti vero die recedere ab occupatis locis debuere, seque in suos fines retrahere, ab Italos pressi, quibus per Sancti Marci iuga et in hostili territorio progrederi licuit.

Praeter hos, nulli alii eventus memoratu digni superiore Februario mense de immani Europaeo bello intercesserunt.

**

Ex Cubana Insula rebellium seditione nunciata est, sed ea brevi atque facile domita. Fortasse timor ne Nordicae Americanae Civitates armis suis intervenirent, tumultus compescere citius valuit.

Sedata pariter et discordiae et civile bellum **in Abyssinorum regno** dicenda sunt, si in urbe capite Addis-Abeba magna pompa atque immenso civium concursu Zeodatu Imperatrix sollemniter coronata est.

Kalendis Martiis MCMXVII.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Clarissimus socius noster A. FULCONIS, qui in perquirendis bibliothecis et archivis multam operam insumere videtur - (beatus ille, qui procul negotiis!) - his diebus nobis copiam fecit descriptiunculae in veteri quadam anthologia a se repertae, auctore Alberto De Albertis, cuius vero notitiam, ut ei suppeditaremus, quaesivit. Quod quidem munus dum ei, cui inter nos competit, delege, Albertiana verba, elegantiae et perspicuitatis plena, libenter refero.

Res est de **horologio rotis circumacto**: « Operae pretium est - inquit - horologium miri artificii instrumentum e ferro chalybeque conflatum, in quo tamquam in speculo veritatem hanc dilucidius intueamini, vestris oculis accurata inspectione lustrandum subiucere. In eiusmodi machinamento dentatae aliquot rotae, striato axis verticillo interiecto mutuo commissae et foederatae, gravibusque suspensae ponderibus, in orbem sensim sine sensu volvuntur. Ferrea in medio columella subtili haerens filo tenuique lamina transversa in capite intersecta, atque exemplibus plumbeis glandibus hinc atque illinc ex ea pendentibus librata, totius moderatrix temporis, in subiectos orbes incidit; binisque ligulis in eorum dentes, quasi fraenis ex intervallo inieictis, rotas in gyrum raptas, descripta ad numerum mora in singula pene momenta, sustinet et relaxat. Tandem, ubi princeps rota penitus circumvoluta est, cavam in crenam decidente

sufflamine, librantis ad terram festinatu decursu recorrentibus, illico solvitur machina, malleumque versatilem incitato verbere in tintinnabulum ex aere campano fusum impellit, quotque ictus infligit, totidem horas tinniendo designat. Hoc instrumentum ad dimidienda temporum spatia exogitatum, tot in rotas ac ferramenta graphicce descriptum, magnum sagaxque artificis, qui id fabricavit ingenium insignite demonstrat ».

**

Hactenus ille. Quid si ego addam quae **de horologio solari** mihi menti succurrerunt, a Cassiodoro scripta in *Epist. 45*, lib. I? Neque inutile neque iniucundum puto, illa apud nos revocare.

« Quare - ita Cassiodorus - quum vos ornnet talium rerum praedicanda notitia, horologia nobis publicis expensis sine vestro dispendio destinate. Primum sit ubi stylus diei index per umbram exiguum horas consuevit ostendere. Radius itaque immobilis et parvus peragens quod tam miranda magnitudo solis discurrit, et fugam solis aequiparat, quod motum semper ignorat. Inviderent talibus si astra sentirent, et meatum suum fortasse defleterent, nec tali ludibrio subiacerent. Ubi est illud horarum venientium singularare miraculum, si has et umbra demonstrat? Ubi praedicabilis indefecta rotatio, si hoc et metalla peragunt, quae situ perpetuo continentur? O artis inaestimabilis virtus, quae dum se dicit ludere, naturae praevalet secreta vulgare!

locosa

Qui hodierni belli pericula vitare per industram student, hi vulgo « silvis abditi », seu « latentes » appellantur, iureque meritoque conviciis et ludibrio impetuntur.

Tuccius, quum in patris amicum quandam occurisset, annorum gravem et calviores, severe redarguit:

— Ipsos tuos capillos inter latentes missos video. Proh pudor!

— Quid ais, inepte?

— Verum aedepol! Nonne fugerunt a fronte?

Ad cauponam.

— Heus, puer, digitos tres in meum iuscum iniecisti!...

— Ne timeas, domine mi, iuscum enim subfrigidum est, nullaque ambustione digitos meos pessum dare potest.

**

Aenigmata

I

Una aliam gignit: geminae sunt namque so-
[rores];
Quaeque prius genita est, mox rursus gigni-
[tur ipsa].

II

Artificis studio caelum dum *tota* figuro,
Telluris faciem *posteriora* tegunt.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Inter eo = Intereo*; 2] *Caper-Aper*).

VICE-IOSFOR.

LIBRORUM RECENSIO

FRANCESCO TRANQUILLINO MOLTEDO, Barnabita. *Nuove liriche sparse.* — Neapoli, ed. « Ars Italica », 1916.

Legimus, non cursim sed attente, hoc carminum cōpūsculum, quod Moltedo conficit, et nescio quid novi atque ingenui admirati sumus, quod Musa eius sapit quodque mentem legentis altius commovet. Sunt numeri non ad illius molestissimae artis normam conscripti, quae in usu est apud nos, quaeque a vera canendi origine et fonte haud raro deflectitur; sed animi benignitate sensuumque dulcedine perfunduntur. Quae enim auctor cantat, non sunt nebulosa aut vana, sed animum quaerunt, eoque magis placent. Non de sunt quaedam pro levi occasione composita, at in eis afflatus quoque animi sincera cantantis invenitur.

Si autem carmina sacra cum profanis confers, maiorem in illis vim ac venustatem reperis, et versus ipse limpidior manat. Insunt enim in profano carmine asperitates quaedam, quae nescio quid sapiunt artificii: inde fit ut imagines sensusque graviore nisu, non sponte, interdum fluant.

Haud dubie auctor egregius est poëta, qui sive italicam sive latinam Musam tractat, in utroque certamine laudis palam consequitur. Legimus nuper eiusdem carmen, in isto Commentario vulgatum, cui nomen: *Civi monita*. Nonne ad horatianae satirae exemplar compositum illud dixeris? nonne sapienter ab Horatio mutuatus est quod in rem suam opportune converteret? Hoc modo non musivum opus effectum est, sed res et verba Venusini poëtae quasi novo spiritu infusa, novo autem colore distincta et inspersa prae oculis patent.

Ut primum potero, de poëticis ingenii Moltedo monumentis — plurima sunt eaque optima — praesertim latinis dicam, a primis initiosis sive periclitationibus ad illam perfectis-

simam dicendi formam, quae iure Amstelodamensis certaminis severiores iudices valde commovit.

Restat ut auctori, qui totus in litteris et studiorum in recessu Neapoli venerandam agit senectutem, sincere gratuler optemque ut diu vivat feliciter novosque suaे mirae industriae ad multos annos edat fructus.

* *

Moltedi volumen, quod scribendi occasionem hodie mihi obtulit, editum est ab italico commentario *Ars italicica*,¹ de quo nonnulla addere placet. In eo enim prudenti consilio et verborum diligentissima electione quidquid ad bonas litteras ingenuasque artes pertinet, tractari solet idque per sententiarum integratatem et quasi munditiem, perque religionis fervorem, quo quisque capit, quique hisce praesertim diebus, animum recreat et ex tot miseriarum malorumque spectaculo consolatur. Si carmina legis, si varia solutae orationis argumenta intueris quae illic continentur, tibi brevi persuadebis omnia ad id unum intendere, ut boni mores adiuventur, vitentur virtus et bona voluntas inducatur. Ea est lectio quae mentem sensusque animi sublevet. Pax, amor, religio, pietas: hisce deliciis et sensibus totus scatet Commentarius, quem igitur libenter commendo, quippe qui inter eos excellat, quos iure cordis medicamina appellaveris.

MARCUS GALDI.

¹ *Ars Italica*. Rivista mensile di letteratura e d'arte. — Direttore: Dr. Guglielmo Della Rocca. — Fiorentini, 12, Napoli. — Pretium subnotationis in Italia lib. 4; extra Italiam lib. 5.

Spatio hodie deficiente, ad proximum numerum:
De speciosa forma in Christo Domino
(scripsit EDUARDUS HUGON). — De artis sacrae excellentia et indole (scripsit LAURENTIUS JANSSENS). — Vetera et nova, etc.

ROMA SACRA

Acta Benedicti Pp. XV.

De Pontificio Istituto Biblico novae leges latae.

Per Apostolicas litteras die xv mens. Augusti MCMXVI datas, revocatis quae a Summis Pontificibus Leone XIII et Pio X acta sunt ad studia biblica provehenda et a rationalistarum fallaciis tutanda, nonnullas regulas Benedictus Pp. XV constituit, quibus tum *Instituti imprimis Biblici* efficientiam, quantum fieri posset, augeret, tum etiam mutuas rationes et necessitudines moderaretur, quae et eidem Instituto et Pontificio Consilio *Vulgatae* restituenda proposito cum Supremo Pontificio de universa re biblica Consilio intercederent oportet. Sunt hae regulae quae sequuntur:

I. Ad Scripturae Sacrae studia in Instituto Biblico ne admittantur, nisi qui ordinarium studiorum philosophiae et theologiae cursum confecerint.

II. Studiorum bibliorum curriculum tribus ibidem annis absolvatur, servata tradendarum disciplinarum ratione, quae, Pontificio rei biblicae provehendae Consilio probata, ad hunc diem viguit; unoquoque autem exeunte anno, fiat, uti assolet, doctrinae experimentum.

III. Iis penitus abrogatis, quae continentur tum Litteris Apostolicis *Iucunda sane die xxii mens. Martii MDCCCCXI et Ad Pontificium Institutum Biblicum* die ii mens. Iunii MDCCCCXII datis, tum aliis Litteris, quae huic Pontificiae voluntatis significationi haud congruant, Instituto Biblico largimur, ut alumnis, qui facto periculo probati sint, post primum annum det litteras testimoniales legitimi adscensus, post alterum vero, academicum conferat baccalaureatus gradum.

IV. Litteris Apostolicis *Scripturae Sanctae*, die xxiii mens. Februarii MDCCCCIV datis derogantes, Instituto Biblico concedimus, ut discipulis, qui integrum ibidem studiorum curriculum confecerint, tentata eorum doctrina

eademque probata, academicum in Sacra Scriptura prolytatus gradum, nomine tamen Pontificii Concilii Biblici, decernat.

V. Testimoniales Litterae et diplomata academicorum graduum de quibus nn. III et IV sermo est, in eam sententiam edantur, quam Pontificium Consilium Biblicum antea probaverit.

VI. Iudiciis, quibus in Instituto Biblico candidatorum ad prolytatum doctrina explorabitur, unus aliquis e consultoribus Pontificii Consilii Biblici, quem Cardinales e Consilio eodem delegerint, continenter intersit et suffragium ferat, ut ceteri.

VII. Quemvis academicum in Sacra Scriptura gradum conferri ne liceat, nisi iis, quos legitimate constet laurea sacrae theologiae potitos esse in aliquo athenaeo ab Apostolica Sede adprobato. Si quis autem eam lauream vel alium similem titulum sit alibi consecutus, res ad Pontificium Consilium Biblicum iudicanda deferatur.

VIII. Ius laureae in Sacra Scriptura imperiendae uni esto Supremo Pontificio rei biblicae provehendae Consilio, quod item perget ad experimentum admittere eos ad prolytatum candidatos, qui Sacrae Scripturae studiis extra Institutum Biblicum vacaverint.

IX. Nemini liceat suam periclitari doctrinam, laureae in Scriptura Sacra potiundae causae, nisi saltem biennio ante Prolyta renuntiatum sit, simulque vel rem biblicam docuerit, vel aliquam de eadem elucubrationem ediderit.

X. Professores ordinarii Sacrae Scripturae in Instituto Biblico tradendae a Praeposito Generali Societatis Iesu, uti antehac, elegantur; accedat tamen Pontificii Consilii assensus.

XI. Tum Pontificium Consilium *Vulgatae* restituenda, tum Pontificium Institutum Biblicum, quotannis ad Supremum Pontificium rei biblicae provehendae Consilium de opera et condicione sua, deque rebus maioris momenti universis, scripto plene absoluteque referant.

AD PRAETORIUM⁴⁾

SCENA VIII.

HERODIAS et FULVIA.

FUL. Quid est quod ad me Te, Regina, du-
[xerit?]

HER. Gravis res admodum!

FUL. Quae rerum novitas?

HER. Scis?

FUL. Admodum.

HER. Jesus...

FUL. Damnatur capit is?

HER. Meo tu pectori cara perquam maxime,
Ito ad tribunal, hinc cunctis pro viribus
Virumque avelle, prohibe ne sanguine
Linatur ipse tot clarus virtutibus,
Imo simul dicitur Numinis Filius!

FUL. Quid est agendum mihi quod iam non
[fecerim?]

HER. Eas ad Pontium; iussis aut precibus
Velim deducas eum forte ne reprobis
Minis, fallaciis, damnosis artibus
Eum seducant, agant ad flagitium.
Novi fallacias impiorum, Fulvia!

FUL. Ago tibi gratias magnas pro munere...
Ibo! Namque verbis tuis me territas.
Sed audio voces alte clamantium...
Volunt quid?¹

[DISTINCTE AUDITUR: « *Ad mortem pelle*
[noxiom!]

« *Vocari voluit Rex, reiecto Caesare!*
« *Amicus frustra diceris tu Caesari,*
« *Eum si dimittas ... »]*

FUL. Quid audio? In mora
Adest periculum... Quid agendum nescio!

SCENA IX.

OCTAVIA, HERODIAS, FULVIA.

OCT. ² In urbe nuper magno coram populo
Tulit se Pontius gravi intelligentia!
Ita merebitur prudentium gratiam.
Scribae duxerunt ad tribunal Praesidis

¹ *Adrectis auribus auscultat.*

² *Introgrediens, amicis loquitur.*

Virum, potentem venit qui de Nazareth,
Esse praedicabat qui supra Caesarem;
Imo Deum modis se dicebat novis;

Et omnem turbam commovebat gentium...

FUL. Nihil novi narras! Scimus nos optime!
Quid egit Pontius? Sinit abire liberum?

OCT. Tenuit quin potius!

HER. Sed est ille innocens!

OCT. Quid? Innocens? Movebat turba dis-
[sidiis,

Serebat inter vulgus et discrimina,
Vel inter saevas Sacerdotum familias.

Talia iactantem quis non plectet merito?

Et ipse Pontius, confusis legibus,
Prius flagellis tundit atque verberat,
Eumque liberum promittit cedere.

Sed omnes voce clamitant superbius,
Suisque moti semper a maioribus
Petunt perpetuo malignis animis
Ut ipsum damnet, sibi ne sit noxius.

Fremunt: “Si amicus esse vis Caesari
Eum tolle a nobis, reus nam est capit is! „

Manet primum miser, nescit quid eligat;
Et audiens esse hunc Herodis subditum,
Locandi causa vel salvandi, ad Principem

Lubens eum mittit, magna fiducia,
Ut ipse iudicet, damnet vel si lubet ...

HER. ¹ Herodes autem, dic?

OCT. Alba indutum chlamyde,
Virum remisit ut minorem capit is!

HER. Ei parcat Deus! Cur non misit liberum?
Cur non Ioannis sic delevit crimina?

OCT. Stupet tunc turba, ridet, clamat plausi-
[bus

Eum reum mortis!

FUL. Fecit quid Pontius?

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

¹ *Anxia.*

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS. — ROMAE.

Si quis aliqui
piat, rogation
suam scriptis
phum Fornari
tarii Moderator
verno Vecchio,



Candelae ex
decorae; rigidissi
fabricatae, et a S.

FACULAE A
iure proprietatis s

COMM

NUMISMATUM COLLECTORIBUS

Apud Commentarii *Almae Romae* Moderatorem numismata plura ex iis, quae gesta Romanorum Pontificum referunt et quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent, venalia prostant. Sunt inter haec *numismatum aeneorum Leonis XIII et Pii X integra collectio; collectio pariter integra argenteorum numismatum Pii X; et Leonis XIII ab anno XIII ad XXVI Pontificatus eius inclusive.*

Si quis aliquod vel omnia habere cupiat, rogationem simul et oblationem suam scriptis mittat ad **Doctorem Iosephum Fornari**, *Almae Romae* Commentarii Moderatorem, Romam (*Via del Governo Vecchio, 96*).

entem venit qui de Nazareth,
icabat qui supra Caesarem;
modis se dicebat novis;
turbam commovebat gentium...
ovi narras! Scimus nos optime!
Pontius? Sinit abire liberum?
quoniam potius!

Sed est ille innocens!
Innocens? Movebat turba dis-
[sidiis,

ter vulgus et discrimina,
saevas Sacerdotum familias.
antem quis non plectet merito?
ontius, confusis legibus,
cellis tundit atque verberat,
liberum promittit cedere.
es voce clamitant superbius,
noti semper a maioribus
et perpetuo malignis animis
damnet, sibi ne sit noxius.

“Si amicus esse vis Caesaris
e a nobis, reus nam est capitatis!”
rimus miser, nescit quid eligat;
ns esse hunc Herodis subditum,
causa vel salvandi, ad Principem
eum mittit, magna fiducia,
iudicet, damnet vel si lubet...
rodes autem, dic?

Alba indutum chlamyde,
emisit ut minorem capitatis!
arcat Deus! Cur non misit liberum?
n Ioannis sic delevit crimina?
bet tunc turba, ridet, clamat plausi-
[bus
um mortis!

Fecit quid Pontius?

maximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

PIS POLYGLOTTIS VATICANIS. — ROMAE.

Sculpturae et aeneorum Museum

G. Balducci & A. Giacomini

ROMAE

Via Sistina, N. 2

STATUAE HIC MULTIPLICES
TUM SACRAE CUM PROFANAE
VASA — COLUMNAE — MONUMENTA

Templa, Viridaria, etc., vel ex integro
decorantur.

Prospectus gratuito fiunt

Artificum optimi opera sua commendant
huic museo, cui studia propria sunt
ad lapicidinas.

CONSTANTINI PISONI

Pontificia Officina Candelarum ad Sacra

CONDITA AN. MDCCCLIII

pluribusque praemiis aureis et argenteis aliisque honoris
testificationibus insignita

ROMAE - Corso Vittorio Emanuele, 127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

Candela ex cera cuiusvis dimensionis, tum simplices, tum exquisitis ornamentis
decorae; rigidissimae vel calidissimis caelis resistentes, iuxtaea praescripta liturgica
fabricatae, et a S. Rituum Congregatione recognitae.

FACULAE AD NOCTEM, et diurnitate et fulgore unicae, ideoque
iure proprietatis septae.

COMMERCIO EPISTOLARE OMNIBUS LINGUIS HABETUR.

RES AD ORBEM UNIVERSUM EXPORTATUR.



“Credito Centrale del Lazio ,”

Societas anonyma ex soluta summa libell. 500.000

ad decies centena millia libell. efferenda

oeconomicis Catholicorum Institutis Romae, in Latio eiusque provinciis conterminis
promovendis, dirigendis, adiuvandis, amplificandis

...

Pecuniae sibi ad quotidianam computationem concreditae fenus rependit
ad 2.50 % et 3 %. — Huiusmodi commercii rationes vel per litteras instituit.

Parsimoniae libellos emittit, sive inscripto possessoris nomine, sive cuique
latori liberos, cum fructu 3.50 %; et 4 % si de parva summa agatur.

Emittit pariter libellos vinculo adstrictos, neque non fructiferas syngraphas;
quarum tamen de quaestu convenientendum est.

Exterorum nummos atque nummarias tesseras emit venditque.

Pecuniam per obligationis chirographa concedit, aliorumque nomine obligationis
chirographa exigit.

Aes alienum, acceptis commercii tutis rationibus, solvit.

Operationes omnes, quae arciae rei sunt, pro committentibus gerit; locaria
repetit; vectigalia solvenda curat, etc.

Sedes Princeps ROMAE, via dei Cestari, 21

Subsidiariae: ALATRIA, BRACENI, FARAE SABINORUM, PRAENESTE, SUBLACI

IOANNIS B. FRANCESIA

ACTIONES DRAMATICAE

latinis versibus conscriptae

SATURIO ☺ ☺ ☺ ☺

EUPLIUS ☺ ☺ ☺

AD ROMAM

Apud Almae Romae commentarium

ROMAE

Via del Governo Vecchio, n. 96

veneunt singillatim libell. 1,00.

JOSEPHI FORNARI

MILESIAE FABULAE

scenis accommodatae apud ephebea facile agendis.

FRIDIANUS

SIVE

DE INCONDITO ADULESCENTE

ET

FRANCISCULI PRANDIUM

Apud Almae Romae commentarium

ROMAE

Via del Governo Vecchio, n. 96

veneunt singillatim libell. 1,00.

C. DEL VECCHIO

SINGU